

*cet numerus rerum par, vel impar existit: Si enim numerus rerum fu-  
erit par, multiplicandus erit numerus proxime minor per meditatem  
numeris rerum: Nam productus ostendet combinationum numerū. Ut si sc̄i  
re lubet, quot fieri possint combinationes inter 1 o. res, multiplicabun-  
tur 9. per 5. efficienturq; 4 5. quot nimis combinationes fieri inter  
decem res possunt. Si vero numerus extiterit impar, multiplicandus  
erit per medietatem numeri proxime minoris; Hac n. ratione numerus  
procreatus indicabit, quot fieri possint combinationes. Ut si res fuerint  
1 5. Multiplicatis 1 5. per 7. efficietur numerus combinationum inter  
ipisas, nempe 10 5. Inter 9. vero res sient combinationes 36.*

*Quod si scire placuerit, quotcumq; rebus propositis, quot sim-  
pliciter coniunctiones ex ipsis possint fieri, non solum intelligendo, quā-  
do binæ sumuntur, sed etiam quando ternæ, quaternæ, quinque, &c. ca-  
piuntur, hoc est, quotam modis distinctis inter se possint comparari;  
efficietur id bac arte, & regula. Accipiuntur tot numeri, incipiendo  
ab unitate, in dupla proportione, quot res sunt propositæ, & a summa  
omnium illorum (qua facile habetur, si ultimus numerus duplicetur,  
& ex produc̄to unitas abiiciatur. Ut si lubeat scire summa horum nu-  
merorum in dupla proportione. 1. 2. 4. 8. 16. 32. Duplica 32. fac-  
ties, 64. reiecta iam unitate remanent 63. atq; bac est summa illorum  
numerorum, hoc est, tot unitates in illis continentur) subtrahatur nu-  
merus rerū; reliquus enim numerus indicabit, quotnam comparatio-  
nes diuersæ effici possint. Exemplū in supradictis quatuor qualitatibus  
primis. Numeri in dupla proportione iuxta numerū rerū erunt 4. isti.  
1. 2. 4. 8. quorum summa est, 15. abiectis ergo 4. remanet 11. Tos  
igitur modis diuersis coniungi poterunt quatuor prime qualitates, vi-  
deelicet haec. Caliditas, frigiditas: Caliditas, siccitas: Caliditas, humi-  
ditas: Frigiditas, siccitas: Frigiditas, humiditas: Siccitas, humi-  
ditas: Caliditas, frigiditas, siccitas: Caliditas, siccitas, humiditas:  
Frigiditas, siccitas, humiditas: Caliditas, frigiditas, humiditas:  
Et demum Caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas; Neque  
fieri potest, vt alia comparatio efficiatur, quæ non cum aliqua harum  
coincidat. Non enim haec, Caliditas, frigiditas: Frigiditas, cali-  
ditas; cum ordo tantū mutetur, & non res, distincte esse censentur.  
Hac ratione inter quinq; res, vt inter quinq; prædicabilia, 26. possunt  
fieri diuersæ cōparationes, Nam summa horū numerorū 1. 2. 4. 8. 16.*